



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XXXIII. Markgraf Johann verkauft dem Kloster Diesdorf das Dorf Hanem,  
am 8. Juli 1315.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

XXXIII. Markgraf Johann verkauft dem Kloster Diesdorf das Dorf Hanem,  
am 8. Juli 1315.

In nomine domini amen. Humani actus in obliuionem decidunt, si non scripturarum adminiculo in posterorum notitiam transmittuntur. Hinc est quod nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, recognoscimus publice in his scriptis, quod prouida deliberatione nostrorum fidelium habita vendidimus et per presentes vendimus iusto et consueto venditionis contractu deuotis in Christo priorisse totique conuentui in Distorp villam Hanem cum omni iure, libertate, commodo, utilitate et dominio, cum omnibus agris cultis et incultis, cum vniuersis lignis, siluis, rubis et paludibus et fructibus eorundem, cum pratis, pascuis, aquis, molendinis, cum vniuersis metis et intra metas ipsas contentis, plane sicut nostra erant, cum omni precaria, cum omni seruitio personali vel reali perpetuo et iusto proprietatis titulo cum aduocatia iudicio summo et pedaneo possidendam. Item aduocatiā vnus mansi in villa Ekhorst etiam vendidimus eidem, sicut nostra erat. Pro quibus omnibus honorabilis vir dominus Johannes, dictarum sanctimonialium prepositus, nobis dedit et persoluit ducentas marcas argenti Brandenburgensis et ponderis complete, de quibus ipsum monasterium et personas quitas dicimus in hiis scriptis, mittentes ipsum monasterium nomine sanctimonialium earundem in possessionem omnium et cuiuslibet predictorum sollempnitate consueta et renunciantes predictis omnibus et heredes nostros nec non nostri domini quoslibet successores. Et ne hoc factum nostrum a quoquam valeat irritari presentes literas dari iussimus nostro sigillo sigillatas de nostra certa scientia et mandato. Testes quoque ad hoc rogati sunt, illustris domina Anna, Ducissa Wratislauiensis, nostra genitrix karissima, nobilis vir Henricus Comes de Luchoue, Buffo et Slotheco, nostre curie dapiferi, Christianus de Gherardistorpe, Henricus et Conradus de Cracowe, Borchardus de Berthensleue, Henningus de Vorland, Buffo de Myloue, nostri milites, Johannes plebanus in Gorliz cum aliis pluribus fidedignis. Actum et datum per manum Hermanni de Luchoue, in Soltwedele, anno domini millesimo trecentesimo quinto decimo, VIII. Idus Julii, die beati Kyliani.

Gercken's Dipl. II, 180—182.

XXXIV. Markgraf Johann untersagt seinen Bögten die Ausübung der Vogteigerechtfame über  
Dorf Daurßen, da die Herren von Hadmersleben solche dem Kloster Diesdorf zugewandt haben,  
am 22. Juli 1315.

Johannes, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, vniuersis ad quos hec litera peruenerit et specialiter Aduocatis in Saltwedele presentibus et futuris gratiam suam et omne bonum. Visis et intellectis literis nobilium virorum dominorum de Hadmersleue non vitiatis in aliqua sui parte, in quibus comperimus liquido, quod Aduocatia ville Dangketesse per